

ni homo lapsus, sed regeneratus in Christo, cum sola huiusmodi versatili gratia, pares pietatis actus exereere possent, tunc saltem quando nulla contraria concupiscentia tentatione moveretur? Ubi enim peculiaris virtutis actus edendus est, tam non est impedimento concupiscentia, quae tunc neque stimulat, neque movet, quam quae omnino non est; nec magis mihi nocet hostis, qui nihil in me machinatur, ac tentat, quam si re ipsa non esset. Porro fieri posse docet Augustinus, ut quamvis semper inicit homini regenerato concupiscentia mala, nulla tamen certis in casibus tentatione moveatur. *Non enim semper est desiderium, ait ille lib. 6. contra Jul. cap. 19. contra quod pugnemus: sed si tunc non est, quando non occurrit, quod concupiscatur, sive animo cogitantis, sive sensibus corporis; fieri potest, ut in ista qualitas mala, sed nulla sit tentatione commota.* Aut ergo satis non erat Adamo versatilis gratia ad pios actus exerendos, propterea quod esset in statu naturae innocentis, & integræ constitutus; aut si hæc illi satis erat, non fuit hoc integræ naturæ peculiare privilegium; nec inde petenda venit variorum naturæ itatum differentia.

IV. Quarto, quamquam gratia actualis status naturæ lapsæ, medicinalis sit, non ideo tamen se ipsa efficacis est, quod vim illam medicam habeat; sed quod voluntatem humanam efficaciter moveat, determinet, applicetque operi bono; hominemque trahat ad Christum, iuxta oraculum Evangelicum Joannis 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: aliquid quippe est, amissam male valentis hominis fanitatem curare, virefque ægroto restituere; aliquid redditas vires operi faciundo applicare: alterum enim est altero prius. Imo gratia habitualis, quæ multo verius medicinalis est, vimque medicam habet longe majorem, quam actualis, minus tamen proprie efficacis vocaretur: actualis siquidem, non itidem habitualis gratia, in sufficientem, & efficacem dividi dicitur. Quid itaque verat, gratiam actualem Angelorum, & hominum innocencium, se ipsa quoque efficacem esse, quamquam medicinalis ipsa non sit, virtutemque in illis medicam nullam habeat: cum alia longe sit movendi, trahendique vis, quam medendi; alteraque ex altera minime pendat?*

CAPUT XIX.

Que secum adversa sententia ferat incommoda: quas principiorum suorum, dogmatumque antilogias.

I. **D**istis colophonem apponet observatio altera longe gravior, majorisque momenti, ad quam satis non arbitror attendisse Theologos illos, qui Augustini nomine gloriantur. Nempe suo illo systemate posito, de gratia duntaxat versatili, non itidem efficacis Angelis, primisque Parentibus data, non pauca fluere confestaria, quæ si concoquere velint, nova illis Theologia cudenta erit, & ab Augustini principis alienissima.

In primis nemo nescit, quam sint illi gratiæ prædeterminationis acerrimi defensores; pro qua tamquam capitali Augustinianæ doctrinæ dogmate, totis lacertis depugnant. Attamen si quod illi de Angelis, primisque Parentibus innocentibus dicitant, veritatem habet, ruit quoad illos gratiæ prædeterminationis dogma. Quomodo enim Angelos bonos ante omnia prævisa merita, ex æternitate delegisset Deus, si subinde non habuit conferendorum illis meritorum absolutam potesta-

tem, sed ab illorum duntaxat assensu pendulam?

Reponent illi fortasse, ita plane ex Augustini mente, postulare variorum itatum distinctionem; ut quæ creaturæ ex originis vitio corruptæ sunt, ante prævisa merita seligantur; quia ea subinde merita daturus est Deus, & quidem certo, & infallibiliter, per gratiam efficacem: quæ vero ab ipsa origine corruptæ non sunt, non nisi ex prævisis meritis, quæ a se ipsis, Deo minime donante, sunt habituræ, ad gloriam destinantur.

Gerræ profecto gerræ, æque vanissimæ. Quin potius eandem prædeterminationis formam, (ante scilicet prævisa quæcumque merita) in utroque tum innocentis, tum vitiatæ naturæ statu, docuisse Augustinum liquet aperte. Quippe qui Christum Dominum, cuius erat natura purissima, innocentissimamque, ante prævisa bona prædeterminationem, constantissime docet, ejusdemque, quod notandum magis, gratiam prædeterminationem gratiæ prædeterminationis nostræ exemplar esse ait, alteramque probat ex altera, *lib. de prædest. Sancti. cap. 15. Est etiam præclarissimum lumen prædeterminationis, & gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus: qui ut hoc esset, quibus tandem suis, vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana, que in illo est, comparavit? . . . Ipsa est igitur prædeterminatio Sanctorum, que in Sancto Sanctorum maxime clavit; quam negare quis potest recte intelligentium eloquia veritatis? . . . Sicut ergo prædeterminatus est ille unus, ut caput nostrum esset; ita multi prædeterminati sumus, ut membra ejus offerimus. Humana hic merita conticescant, que perierunt per Adam; & regnet que regnat Dei gratia, per Jesum Christum Dominum nostrum . . . Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenit, ipse in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicata regenerationis inquirat.*

Quid etiam quod gratia prædeterminatio, in qua suas Theologi illi delicias ponunt, iis nititur rationibus, ac momentis, que si quid valent, prædeterminationem ex meritis pendulam quovis in statu impossibilem faciunt? Hujus generis est ratio illa plane decretoria, ex Divinæ bonitatis sine petita, quam ex D. Thoma quest. 6. de Veritate art. 2. ipsi quoque Augustiniani Theologi mutantur: *Finis autem Divinæ voluntatis est ipsa ejus bonitas, que non dependet ab aliquo alio, unde ad hoc quod habeatur a Deo nullo alio indiget: & ideo voluntas ejus non inclinatur primo ad aliquid faciendum per modum debiti, sed liberaliter tantum, in quantum est bonitas ejus in opere manifesta . . . Ubicumque autem occurrit aliquid, sine quo aliud a Deo volitum esse possit, hoc non procedit ab eo secundum rationem alicujus debiti: sed secundum meritam liberalitatem. Perfectio autem gratiæ, & gloriæ sunt huiusmodi bona, quod sine eis natura esse potest, excedunt enim naturalis virtutis limites: unde quod Deus velit dare alicui gratiam, & gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit. In his autem, que ex liberalitate procedunt, tantum causa volendi est ipsa superabundans affectio volentis ad finem, in quo attenditur perfectio bonitatis ipsius: unde causa prædeterminationis, nihil aliud est, quam bonitas ipsius Dei. Quis porro non videat, hæc ipsa ratione Angelica perinde evinci, tam non posse Angelorum prædeterminationem, ex prævisis illorum meritis fieri, quam nec hominum facta est? Ne in eo prædeterminationis negotio, Divinæ voluntatis finis bonitas ipsa non esset.*

Ejusdem generis est altera receptissima ratio, quæ ex ordine mediorum, & finis vulgo a Theologis

logis petitur. Si enim (quod ajunt illi, dum ea de re philosophantur) ordinate volens prius vult finem, quam media ad finem; eaque de causa prius decrevit Deus dare hominibus gloriam, quam illis merita conferre decernat, quibus pervenitur ad gloriam: quis non videat, idem quoque debere in quacunque Angelorum, hominumve prædeterminatione contingere? Ne si fieret aliter, Deusque prius illorum merita præfinit, quam gloriam illorum meritis conferendam decerneret, inordinare, imprudenterque velle, atque decernere censeretur.

Non me fugit, responsuros illos, ut elabantur, Angelorum, hominumque innocentum merita, non perinde ac lapsorum, ex efficaci gratia fuisse proditura, sed ex ipsorum libero arbitrio: atque ita a Deo data non fuisse ex intentione conferendæ gloriæ, sed ut summe fuisse prævisa: Verum nec illud me fugit, hoc illis suffugium ab Augustino fuisse præclusum, tam discrete pronunciant *lib. 14. de Civit. Dei cap. 10. Sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisse: quia est peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatio immutabilis boni Divinum adiutorium præberetur.*

Quod utique de efficaci Divinæ gratiæ adjutorio dixit SS. Doctor; de illo nempe quo ex occulto Dei judicio destitutus est Adam, ut habet *Epist. 186. cum alias sufficienti adjutorio, & sine quo nunquam fuerit destitutus.*

II. Pari omnino studio contendunt Augustiniani Theologi, Divinam Providentiam, illiusque speciem nobilissimam prædeterminationem certam esse, non modo certitudine præscientiæ, verum etiam certitudine mediorum, quibus Deus creaturas rationales ad destinatum finem certo perducit. Ita postulante prædeterminationis definitione, ab Augustino tradita *lib. de dono persever. c. 14. Præscientia scilicet, & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.* Id autem in Angelis falsum esse necesse est, si gratiis duntaxat versatilibus, ex illorum assensu, nutuque pendentibus instrudi ponantur, ut possint perseverare si velint, non itidem efficacibus, ut re ipsa infallibiliter perseverent.

Non sum nescius, responsuros Theologos illos, si suis quidem principis stare velint, eam prædeterminationem, quam mediorum certitudine polleat contendunt, lapsorum duntaxat hominum esse, non innocentum, si qui tales prædeterminati fuissent; non itidem Angelorum, quos nullis per sese efficacibus gratiis ad perseverandum adjutos existimant. At nec ignorare illos oportuit, Augustinum, quibus in locis eam prædeterminationis infallibilitatem, ac certitudinem a mediis petit, ac probat, iis sententiam suam momentis adstruere, quæ si quid valent, de prædeterminatione in universum tam Angelorum, quam hominum perinde convincunt. Ait enim, si ea certitudine prædeterminatio non constaret, Deum ab homine victum iri, nec fore illum omnipotentem; quippe qui ea in hypothesi vitio superaretur humano. *Lib. de corrept. grat. cap. 7. Illi ergo electi qui secundum propositum vocati, qui etiam prædeterminati, atque præfiniti. Horum si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nullare vincitur Deus. Et c. 14. Cui (Deo) volenti saluum facere, nullum hominum resistit arbitrium: Sic enim velle, seu nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. Et in Enchir. ad Laurentium cap. 39. Periculatur ipsum nostræ confessionis initium, quo nos*

in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur, si aliqua voluit facere Deus, & non fecit; & quod indignus est, ideo non fecit, quoniam, ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediret. Placene vero eruditissimis Theologis, ut Deum ab Angelo vinci, ac superari posse dicamus; suaque Deum omnipotentia excidere, atque devolvi, in statu naturæ innocentis?

III. Docent non absimiliter laudati Theologi, conjunctis cum Schola Thomistica studiis, Divinæ voluntatis decreta se ipsis esse efficacissima, nullaque ratione a creaturæ voluntatis assensu pendere; quin potius eandem voluntatem creatam sibi facere obsequentem, ac fervientem. Id porro quis ab imo ruere non statim intelligat, in ea, quam modo tueretur, hypotesi? cum repugnet omnino, decreta se ipsis efficacis, gratiis versatilibus, liberoque arbitrio subditis, executioni demandari.

Nec suam ipsi secum repugnantiam, & antilogiam excusant, si dixerint, decreta Dei de Angelis, & hominibus innocentibus efformata, non perinde a se ipsis efficacis esse oportere. Iis quippe momentis intimam Divinorum decretorum efficacitatem vindicat Augustinus, quæ Angelorum, primorumque Parentum itatum perinde contingunt: Ur quod pro supræma potestate, de ipsis hominum voluntatibus faciat ipse quod vult: quod habeat humanorum cordium, quo voluerit, quando voluerit inclinandum omnipotentissimam potestatem: quod magis in potestate sua voluntates hominum habeat, quam ipsi suas, *lib. de corrept. & grat. cap. 14. Quisquis hæc Deo optimo maximo, ubi de Angelis, primisque Parentibus agit, negare voluerit; hunc certe, & Deum, & supremum illis Dominum esse, perinde neget oportet: cum sint illi Divinitatis characteres, & indivulsa suprema omnium Domini jura.*

IV. De scientia Dei quid statuatur, notum omnibus arbitror: eam scilicet rerum omnium causam esse, non dirigentem modo, verum etiam efficiantem: eaque ratione res non ideo a Deo fieri, quod sint; sed ideo esse, quod sciatur ab eo. At nunquid id omne, in illo suo, quod jactant systemate, falsissimum est? Sic enim bonus Angeli consensus gratiæ versatili datus, bonus liberi arbitrii actus ab illo elicitus, ipsa demum in bono perseverantia, non ideo fuerit, quia sciabatur a Deo, sed ideo sciabatur ab eo, quia re ipsa fuerit: cum bona illa non sit operatus in eis Deus, gratia illa versatili, sed ea potius bona ab eis edenda expectaverit.

Nec audiendi si forte ad excusandam antilogiam illam patentissimam, reposuerint: Deum res Angelorum, innocentumque hominum aliter scire, aliter nostras; servandamque eo etiam in capite variorum itatum distinctionem. Hanc enim excusationem illis præcidit Augustinus *lib. 15. de Trin. cap. 13. ubi patet eo in capite creaturarum omnium, cum spiritualium, tum corporalium notitiam in Deo ponit, quovis in statu operatricem, & effectricem, ut plane sit ineptissimum velle in iis discrimen ponere. Universas autem creaturas suas & spirituales, & corporales, non quia sunt, ideo novit (Deus,) sed ideo sunt, quia novit. Non enim nescivit que fuerat creaturas. Quis ergo scivit, creavit, non quia creavit, scivit. Et lib. 11. de Civit. Dei cap. 10. Occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quod iste Mundus nobis notus esse non posset, nisi esset; Deo autem nisi notus esset, esse non posset.*

Ut fileam, hæc ipsa de Divina scientia Theoremata, quæ nostris Augustinianis arident longe maxime, metaphysicis etiam rationibus niti: quæ certe si quid evincunt, fieri perinde non posse probant, ut ullo in statu, res extra se positas, atque

atque creatas ideo videat Deus, quia sunt. Sic enim a suis objectis Divina scientia penderet, & ab illa veritatis, & certitudinis suae mensuram peteret: Quod nullo in statu fingi potest.

V. Quid hic demum memorem scientiam mediam? Quo eam studio insectentur, oppugnent, tollantque de medio quotquot Augustini nomine gloriantur Theologi, iis ignotum arbitror, qui Theologicas Scholas ne quidem e limine salutarunt. Et tamen, quod mirere magis, quam una manu diruant scientiam mediam, altera edificant; dum gratiam tantum versatilem, atque ex liberi arbitrii assensu pendulam in Angelis, primisque Parentibus ponunt. Eliminat quippe gratia per se efficaci, rejectisque decretis a se ipsis efficacibus, sola Deo superest scientia media, cujus lumine futuram bonorum Angelorum assensum, futuramque illorum perseverantiam explorare potuerit. Quid ergo? An etiam tritam hic excusationem obtinent: repugnare quidem Deo scientiam mediam, in rebus ad statum nostrum spectantibus explorandis; non ita tamen in rebus ad statum innocentiae pertinentibus dignoscendis? Quam turpiter, Deus bone! luduntur, qui causas istas inveniunt. Cum enim scientiam mediam repugnare Augustiniani Theologi probent, momentis ab ipsa etiam Divinae scientiae natura petitis; huiusque, ut ita loquar, Metaphysicam impossibilitatem ostendant: dum scilicet quod iactatur a Molinianis scientiae mediae objectum, incertum, dubium, ac etiam fictitium esse demonstrant, nullumque illi medium certum esse, & infallibile, (quale profecto scientiae ratio postulat) sextentis argumentis evincunt: consequens profecto est, scientiam mediam pro nullo rerum statu admitti in Deo posse. Quae enim ex ipsa sui essentia pugnant, nullo in ordine poni, ac ne ipsa quidem mente concipi possunt.

Illud nunc reliquum est, ut post reiecta huiusce, quod impugnavimus, systematis incommoda confectionaria, patentisque illius defensorum antilogias; quidquid speciosum in eo fuit, atque pigmenti, unde sese superbe circumspicit, depellamus; ne eo deinceps Augustiniani Theologi deludantur.

CAPUT XX.

Celebris D. Augustini cum Monachis Aduemetinis disputatio referretur, unde tam speciosa adversae sententiae probatio petitur.

QUAMquam superioribus huc usque capitibus, omni probationum genere susceptam Scholae Thomisticae causam oraverim; gratiamque se ipsa efficacem, Angelis, primisque Parentibus necessariam, tam aperte, tamque dilucide, ex Augustini mente, atque sententia demonstraverim; nulla ut apud aequos aestimatores suboriri dubitatio possit: scrupulus nihilominus superest, isque gravissimus, quem eximere operae pretium est, ne qua forte nubecula positam in tanto lumine veritatem obambulet. In hoc uno totam adversae sententiae vim ponunt Theologi recentiores, qui Augustino duce, atque Magistro gloriantur. Hoc uno scuto tectos se satis existimant, adversus quacunquē Scholae Thomisticae tela. Hoc igitur uno submoto, tota adversae sententiae machina corruet.

II. Augustini mens, inquit eruditi Theologi, si quo ex loco reptenda venit, ex eo maxime, quo quaestionem istam totam, quanta quan-

(a) Vide Praelectionem V. de statu innocentiae.
(b) Vide Praelectionem V. de statu innocentiae.

ta est, non obiter, ac desuaviter, sed data opera, atque ex instituto tractavit, atque resolvit. Id porro semel duntaxat egit SS. Doctor, lib. scilicet de correptione & gratia, cap. 10. 11. & 12. Cum etenim toto illo libro Monachorum Aduemetinorum, obmurmurationes, adversus tritam a semetipso doctrinam, depellendas aggressus esset; res eo demum perducta est, ut de gratia primi hominis, & Angelorum quaestio fieret, & qua potissimum ratione, a gratia lapsi hominis distinguatur, inquiretur. Facti speciem, totamque Augustinianae disputationis seriem paucis exponam, ut SS. Doctoris mens, atque sententia facilius percipiatur.

Statim atque internovere Aduemetini Monasterii Monachi quoddam gratiae genus ab Augustino adversus Pelagianos pradicari, quae ad omnes pietatis actus necessaria esset, nec tamen ullis meritis obtineretur, sed a Deo pro nutu, atque arbitrio, quibus vellet, & quando vellet, conferretur; venit illis in mentem pervulgata obmurmurationum obiectio. Si sic est, inquebant, nemo itaque corripiendus est, si forte bonum non agat, aut si non perseveret in bono; cum nec agere bonum, nec perseverare possit in bono sine gratia, quam tamen nec dare ipse sibi, nec promereri a Deo potest: sed Deus tamen supplicandus erit, ut gratiam ipse largiri dignetur, quam donec habuerit homo, implendo bono prorsus est impar.

Eam ut obmurmurationem (a) depelleret Augustinus librum edidit, cui idcirco titulum fecit *De correptione & gratia*; quo nimirum multis ostendit argumentis, duo hac optime coherere: hominem divina eger gratia, ut bene agat, & nihilominus corripiendum esse, si ea delictus gratia bene non agat. Quia utrumque Scriptura monet, ac docet: primum quidem *Joannis 15. Sine me (hoc est sine gratia mea) nihil potestis facere: alterum Matthaei 18. Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripue eum &c.* Tum subinde correptionis utilitatem multis momentis evincit: ac tandem hanc ipsam obmurmurationum Monachorum querimoniam, diu antea ab Apostolo Paulo pravifam, & occupatam praedestinationis, & gratiae mysteria referasset, statim e vestigio hanc sibi querulorum hominum objectionem opponit: *Dicitis itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit? hoc est, quid de nobis queritur Deus, si bene non agimus, cum ille voluntatis suae nutu, cui resistere nemo potest, gratiam denegat, sine qua nihil possumus ad salutem? Cui tamen hoc unum habuit Apostolus quod responderet: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Annon habet potestatem figulus lutum ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

III. En primam Augustini (b) adversus obmurmurationem Monachos velationem. At minus illi quieverunt. Rationem importunius efflagitarunt, cur peccati reus censetur ille, atque ut talis severius corripiatur, qui bene non agit, cum tamen eo destituitur auxilio, quod illi ut bene agat, necessarium omnino est. Reponerat ad haec Augustinus, factum ex Scripturis aperte colligi, peccati scilicet reum esse, qui bene non agit; & gratiae opem desiderari, ut bene agat: facti vero rationem imprudenter omnino quaeri, cum eam ignorare se professus esset Apostolus, nec aliud, quod reponeret, habuisset, nisi: *O altitudo divitiarum sapientiae, & scientiae Dei: quam incompre-*

hensibilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viae ejus! ad Rom. 11. Addebat SS. Doctor, res compertissimas negari a viro prudente non posse, tamen earum quandoque rationes exploratae non sint, imo potius ignota. Equis enim aetuis reciprocationem in Oceano differri vellet, ob id unum, quod ejus in hanc diem ratio explorata omnino non fuerit? Quis ventos idcirco vertat in dubium, quod impervia sit illorum origo? Quis demum rusticus eclipsis negare audeat, dum eam propriis videt oculis, quod ejus causam ignoret? Quanto minus ergo in ordine gratiae negari mysteria possunt, divinis in litteris luculenter expressa, quia posteriorum rationes mente capere, divinaeque voluntatis tremenda consilia rimari non possumus? Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? inquit Apostolus ad Rom. 11.

Hac perbella quidem; ac etiam egregia, sed furdis caneat auribus Augustinus. Volentem, nolentem congestis sophismatibus Monachi coegerunt, ut aliquam tandem rationem afferret, quorum Deus suam iusto retraheret gratiam, sine qua perseverare re ipsa in bono non potest; & tamen ille idem Deus, iusto, quod non perseveret, vitio vertit? Reposuit importunis cavillatoribus Augustinus, gratiam iustis temporaneis subtrahi, quia non sunt a massa perditionis aeterna Dei praedestinatione discreti: hoc est, subtrahi gratiam ob demerita primi Parentis, ad nos usque carnali generatione transfusa.

IV. Tempus erat ut facies victori submitterent lymphati disputatores. At longe fecus accidit res; quin potius eo SS. Doctoris responso concitati, eum suis ipsis retibus implicare tentarunt, obiecto primi Parentis exemplo, cui gratia ad perseverandum necessaria denegata est, in primaeve innocentiae statu, tamen ob aliquam pristinae corruptionis massam, alteriusque primi Parentis demerita, ei denegata gratia obendi non possit. Hanc ultimam Augustino difficultatem obiectam, ipsiusmet verbis exponam. Hujus enim occasione coactus est SS. Doctor, quaestionem de gratia primi Hominis, & Angelorum pertractare, unde tam grave adversus Thomisticam Scholam petitur argumentum.

Hic exoritur alia quaestio (verba sunt Augustini cap. 10.) non sane contemnenda, sed in adiutorio Domini, in cuius manu sunt & nos, & sermones nostri, aggredienda, atque solvenda. Queritur enim a nobis, quantum attinet ad hoc donum Dei, quod est in bono perseverare usque in finem, quid de ipso primo homine sentiamus, qui certe sine ulla vitio factus est reclusus? Tum postea nonnullis interiectis, obiectam sibi difficultatem ita proponit: Sed illud magis quaerendum, operosiusque tractandum est, quomodo respondeamus eis qui dicunt, si in illa rectitudine, in qua sine vitio factus est (Adam) habuit perseverantiam, procul dubio perseveravit in ea: Et si perseveravit, utique non peccavit, nec illam suam rectitudinem, Deumque deseruit. Eum autem peccasse, & desertorem boni fuisse, veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perseverantiam: & si non habuit, non utique accepit. Quomodo enim, & accepisset perseverantiam, & non perseverasset? Porro si propterea non habuit, quia non accepit, quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? Neque enim dici potest, ideo non accepisse, quia non est discretus a massa perditionis gratia largitate. Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa antequam peccasset, ex quo tracta est origo vitiosa.

V. En adversae partis argumentum. Quid ad hoc porro reponit SS. Doctor? An statutam a nobis, in superioribus capitibus, gratiae per se ef-

ficacis hypothesein arripit, ut eam Adamo ad perseverandum necessariam fateatur? Imo potius ad oppositum systema videtur accedere, ut nodum sibi propositum solvat, quo solo solvi posse videtur. Alterius quippe generis gratiam Adamo necessariam fuisse respondet, quam nunc necessaria sit iustis. Hunc gratia duntaxat versatilem eguisse decernit, (si novis quidem interpretibus credimus) gratia inquam, cujus efficacitas, vel inefficacitas ex voluntatis assensu, vel dissensu suspenderetur: eoque pacto totam obmurmurationum Monachorum difficultatem feliciter eluit. Si enim gratia duntaxat sufficienti, ut Schola loquitur, atque versatilem egebat Adamus, ut in accepta iustitia perseveraret; & ejus duntaxat arbitrio commissa erat plena perseverandi potestas, absque ullius potentioris gratiae ope; planum omnino est, illum non perseverando peccasse; nec de subtrahendo sibi auxilio conquiri potuisse: cum nullum ipsi in hac hypothese subtraham esset auxilium, sed ipse solus auxilio versatilem uti nolisset. Augustini responsum audiamus, an ita re ipsa propositum sibi nodum dissolvat.

Duplex in primis distinguitur adiutorium: *adjutorium sine quo non fit bonum opus*, quod sufficienti Schola vocitat, & *adjutorium quo re ipsa fit opus*, hoc est, efficax. Utriusque ponit exemplum. Alimento, inquit, adiutorium est, sine quo non vivitur, non tamen quo re ipsa infallibiliter vivitur, si quis eo neglecto, mori voluerit: Beatitude e contrario adiutorium est, non solum sine quo quis beatus esse non potest, sed quo quis re ipsa beatus est. Tum ea posita duplicis adiutorii distinctione, ita quaestiones satisfacere aggreditur: *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat reclusus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseverantiae, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei praedestinationis, non tale adiutorium perseverantiae datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. En expeditum Augustini responsum, quo liquet plane gratiam ad perseverandum efficacem Adamo re ipsa non fuisse collatam.*

VI. Verum cum ea de re dubitatio nulla esse posset, nec id in quaestionem a Monachis Aduemetinis proprie vocaretur: (Adamum enim non perseverasse quis nesciat?) sed potius an ad perseverandum efficacis gratia eguisset: an illi e contrario auxilium sine quo non, seu sufficienti gratia, qua donatus erat, satis esset ad perseverandum, modo illam liberi arbitrii assensu redderet efficacem: ita praemiserat SS. Doctor, statumque humanae naturae differentiam constituerat: *Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio. Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adiuvetur ab omnipotenti bono. Quod adiutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus; sed deseruit, & deseruit est. Tale quippe erat adiutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet; non quo fieret ut vellet. Haec prima est gratia, quae data est primo Adam: sed haec potentior est in secundo Adam. (En tibi statuum distinctionem) Prima est enim qua fit, ut habeat homo iustitiam, si vellet: secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut vellet. Et tantum vellet, tantoque ardore diligit, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. Quibus verbis gratiam versatilem Adamo datam delineasse videtur, cujus scilicet exitus ex*

Ipsius penderet arbitrio, ut sine novæ gratiæ ope, in iustitia perseveraret, si vellet; aut ab illa excederet, si stare re ipsa noller: quo ex capite a sanctis huiusce præsentis status fecerneretur; quibus non ea duntaxat gratia datur, qua possint perseverare, si velint, sed ea qua re ipsa præstatur, ut velint.

Hoc idem distinctius asserit Augustinus, & bonorum Angelorum exemplo confirmat: quos, si novis interpretibus fides est, cum sola gratia verfacili, qua reprobis etiam Angelis data fuerat, perseverasse contendit, solo libero arbitrio gratiæ verfacilitatem, & indifferentiam determinante. *Dederat, inquit, adjutorium (Adamo) sine quo in bona voluntate non posset permanere si vellet, ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere si vellet, quia non deerat adjutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est; cuius meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & huius permansio debita mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit, semper se in illa esse manuros.*

Quid plura? Rationem præmittit SS. Doctor, cur Deus tam diversi generis gratias Angelis, & hominibus innocentibus destinaverit, a gratis status naturæ lapsæ tantopere discrepantes; illas scilicet libero relicta arbitrio, ut pro illius nutu efficaces evaderent; istas liberi arbitrii dominas, atque victricas. *Sic Deus ordinavit Angelorum, & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset sua gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium. Adeo verum est, inquit Theologi recentiores, Angelorum, & primi hominis gratiam libero eorum arbitrio fuisse subditam, quoad usum: quod quantum nativis viribus posset, eo in statu ostendere voluit naturæ conditor Deus. Unde & subdit Augustinus: Angeli quidam, quorum princeps est qui dicitur Diabolus, per liberum arbitrium a Domino Deo refugæ facti sunt. Refugientes tamen ejus bonitatem, qua beati fuerunt, (naturaliter) non potuerunt ejus effugere iudicium, per quod miserissimi effecti sunt. Ceteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo consuetudinem futuro certissimum scire meruerunt.*

VII. Iis omnibus positam sibi a Monachis Adrumetinis difficultatem eliquavit Augustinus, ut nulla jam nubecula superfusa remaneret; sed eliminato, ut dicitur, atque rejecto Thomistica Scholæ systemate. Quærentibus enim illis, qua ratione peccati reus esset Adam, quod in accepta iustitia non perseveraverit; cum gratia ad perseverandum necessaria fuisset a Deo destitutus, absque ulla sua culpa, non illoque præcedente originis vitio: Respondet idcirco peccasse, quia nulla ad perseverandum necessaria gratia privabatur; quippe qui nullo nisi verfacili illo, quo donatus erat auxilio indigebat; fatique illi erat, si illud suo assensu redderet efficax. Quod cum non egerit, tota in illum culpa refunditur, nulla in Deum querela regei potest, qui totum illi contulerat, quod ad plenam, cumulataque perseverantiam satis esset, si suum ipsæ consensum adjungere voluisset.

Et vero si Augustinus Thomistica Scholæ systema tenuisset, gratiamque se ipsa efficacem Adamo necessariam existimasset, non video, inquit Janfenius, quis fuz illius ad Monachos Adrumetinos responsonis sensus esset: Quænam ab illo fuisset objectæ difficultati data responso: plus di-

dico, non video quid ad illam eluendam reponere potuisset: quid Thomistica reponere possint, ad infirmorum scrupulos eximendos, si fuis de gratia per se efficaci, Adamo, & Angelis necessaria; principiis stare velint.

Sic suam Theologi recentiores contra Thomistas causam orant: sic & ego illorum nomine, tamquam assumpta ad tempus larva peroravi: ne difficultatem, quam gravissimam fateor, a me diffusulatam conqueri possint. In sequentibus ad ingenium revertis officias illas omnes dissipabo: mentemque Augustini Monachorum Adrumetinorum scrupulos eximentis, Scholæ Thomistica per omnia congruentem ostendam, ac porro convincam.

CAPUT XXI.

Argumenti ex Augustini cum Monachis disputatione desumpti futilitas denudatur: Vana quorundam in eo iactando gloria retunditur.

I. AD crism itaque veniat prolixum illud, multique verborum phaleris ornatum Theologorum Augustinienium argumentum. Quo quidem, si recte capio, gratiam se ipsa efficacem primo homini innocenti, ad perseverandum minime necessariam, moliantur ostendere, eo maxime titulo, quod ea de re a Monachis Adrumetinis interrogatus alias Augustinus, primum hominem innocentem ab homine lapsæ ea duntaxat ratione distinxerit, toto passim *lib. de corrept. & grat.* quod ille auxilio sine quo non, hoc est sufficienti, ut Schola loquitur, solum instructos, integram perseverandi facultatem in libero arbitrio relictam haberet; cum contra homo originali vulnere fauciatus, efficaci ad perseverandum auxilio egeat, quo Deus in illo operetur & velle; nec modo perseverandi potentiam, sed & ipsam perseverantiam largiatur.

Eo plane recidit tota contra nos laudatorum Theologorum argumentatio: cui illi usque adeo fidunt, ut eam duplicis adjutorii, quo fit opus, & sine quo non fit, distinctionem; eamque lapsum inter & sanum hominem, differentiam, unicam Augustinianæ doctrinæ clavem appellent; qua prætermissa, necesse est toto aberret ostio quisquis ad ejus doctrinam perdiscendam accedit: basim dicentem, cui tota incubat Augustinianæ doctrinæ summa; qua submota, totum ruat necesse est ædificium: armamentarium, unde arma victriça adversus quoscumque gratiæ hostes petenda sint: anulum, qui cæterorum de divina gratia dogmatum catenam trahit: filum denique veluti Ariadneum, quo nisi quis regatur, tota Augustini doctrina merus est labyrinthus. Sic enim amplificare res suas solent, magnaque verborum pompa suis mercibus pretium facere. Non possum ego (detur mihi, si dixero, venia) non possum inquam criterium illud de distinctione alias celebratam, iudiciumque æquo animo ferre; quo summa imprudentiæ arguitur Augustinus, in cœlesti illa sua de divina gratia tradenda doctrina, atque in Pelagianæ hæresi debellanda.

II. Liquet enimvero D. Augustinum *lib. de corrept. & grat.* ubi eam duplicis adjutorii distinctionem, eamque lapsum inter & sanum hominem differentiam constituit, sub vitæ suæ finem elucubrassè. Si tamen Prospero fides est, viginti & amplius annis in antecessum, contra inimicos gratiæ Dei, Catholica acies, Augustini ductu pugnarat, & vicerat. Quæ ergo tot annis victoria esse potuisset, si nondum arma illa, quibus victoria comparari poterat Augustinus exeruisset? quibus armis confectum est bellum, si fua nondum

hujus

hujus certaminis primarius Dux Augustinus in acie protulisset? Vanus igitur tot annis fuisset Ecclesiæ de prostrata hæresi Pelagianæ triumphus, si eo in capite sita esset Augustinianæ doctrinæ basim, quod in solo *libro de corrept. & grat.* positum fuisse comperit est.

Sed & illos Monachos Adrumetinos turpiter delulisset Augustinus, si ea Theologorum laudatorum observatio veritate niteretur. Ille etenim statim intellectis Monasterii Adrumetini de divina gratia disensionibus, *Librum de gratia & libero arbitrio* a se jam pridem editum misit, utque illum assidue legerent, vehementer est adhortatus: *Si ergo, inquit, librum hunc fructuosissimum habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notissimum, ne dilucidissime sciatis, quibus, & qualibus questionibus solvendis, atque sanandis non tibi humana, sed divina occurrat auctoritas; & a qua recedere non debemus, si volumus pervenire quo tendimus.* Et *Epist. 215.* ad Valentinum Abbatem, *Scripti ad vos etiam librum (de grat. & libero arbitrio) quem si, adjuvante Domino, diligenter legistis, & vivaciter intellexeritis, nullas existimo inter vos de hac re disensiones ulterius jam futuras.* Num quæso per fidem vestram, clausum, obseratumque, librum mittebat ipsis Augustinus, nondum missa doctrinæ suæ clavi? Num incautos illos, & inexpertos in labyrinthum itinere deeraturos conjiciebat, Ariadne filio, cuius unius ope emergere posset, necdum contexto, atque transmissio? falsoque commendabat opus, in quo dilucidissime non solum humana, sed & divina auctoritas occurreret, solvendis de divina gratia questionibus opportuna? Nondum enim librum *de corrept. & grat.* SS. Doctor ediderat; neque eam duplicis adjutorii quo, & sine quo celebrem divisionem, pro variis humanæ naturæ statibus, docuerat; qua incognita, si Theologis illis quidem credimus, necesse erat tanquam cæcos in meridie palpare eos, quos lucidissime instructos existimabat nihilominus Augustinus. Perperam ergo celebrem illam duplicis adjutorii distinctionem, in libro duntaxat *de corrept. & grat.* ab Augustino datam, veluti totius Augustinianæ doctrinæ clavem, ac basim haberi volunt.

III. Equus etiam sibi facile in animum inducat, Augustinum, quo nemo certius, nemo firmitus jactis semel, quacumque de re disputaret, doctrinæ suæ principiis stetit, vulgari tandem Monachorum Adrumetinorum difficultate pulsatum, sub ipsam vitæ finem, ut ab ea expediret se se, posita millies toto vitæ decursu doctrinæ principia, eademque adversus Pelagianos constantissime defensata, brevi pagella deseruisse, evertisse, concussisse; novumque posuisse doctrinæ principium, toto, ut illi quidem autumant, cælo diversum, imo palam, apteque contrarium? Minus profecto quotquot id effutunt, Augustini gloriæ conflant, minus suæ, si hac ipsa difficultate pressi, a consuetis semel doctrinæ principiis divelluntur, aliaque pro arbitrio constituunt, qua cum pristinis aperte collidunt.

IV. Certe quam sit futile quod ex prolixa illa Divi Augustini, contra Monachos Adrumetinos disputatione, petitur argumentum, ad efficacis gratiæ necessitatem ab statu naturæ innocentis eliminandam; vel ex hoc uno facile deprehenderit: quod quæ illic ab Augustino suse sunt disputata, ac sæpius inculcata, eadem illa a Divo Thoma compendio sint dicta, & ab eo ex Sanctissimo Hipponensi Præsule, mutuo accepta, delibata, & comprobata; quem tamen idcirco nemo dixerit, gratiæ se ipsa efficacis necessitatem a statu innocentis rejecisse. Audi Doctorem Anglicum Augustini lingua loquentem *1. 2. qu. 109. art. 10. ad*

Serry Tom. VI.

3. *Sicut Augustinus dicit in libro de natura, & gratia (Cap. 43. & apertius libro de corrept. & grat. Cap. 12.) Homo in primo statu accepit donum, per quod perseverare posset, non autem accepit, ut perseveraret: nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt & donum gratiæ, quo perseverare possunt, & ulterius eis datur, quod perseverent: & sic donum Christi est majus, quam delictum Adæ. Et tamen facilius homo per gratiæ donum perseverare poterat in statu innocentie, in quo nulla erat rebellio carnis ad spiritum, quam nunc possumus, quando reparatio gratiæ Christi, est sit inchoata quantum ad mentem, nondum tamen est consummata quantum ad carnem, quod erit in patria, ubi homo non solum perseverare poterit, sed etiam peccare non poterit.* Pressius vero atque distinctius *2. 2. qu. 137. Art. 4. ad 2.* Dicendum quod sicut Augustinus dicit in libro de corrept. & grat. primo homini datum est, non ut perseverare posset per liberum arbitrium, quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, que perseverandi difficultatem præberet. Sed nunc predestinatis per gratiam Christi, non solum datur ut perseverare possint, sed etiam ut perseverent. Unde primus homo, nullo terrene, contra Dei terrentis imperium, libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, cum tanta non peccandi facilitate: isti autem serviente mundo ne sciant, steterunt in fide. Hæc Divus Thomas Augustinum secutus, ac etiam syllabam excriscens. Quæ tu dum legis, uti negatam ab Angelico Doctore, in statu naturæ innocentis gratiæ necessitatem minime colligis; quam sexcentis plus minus locis ab eodem propugnatam agnoscis: quid hanc ipsam ab Augustino, ex quo illa sumpta sunt, negatam effucis? Quodque ridendum, magis hanc ipsam variorum naturæ statuum distinctionem, in quorum uno nulla sit unquam efficax gratia necessaria, Augustinianæ doctrinæ basim, & fundamentum occentas; unde tota Doctor Angelicus aberraverit via?

CAPUT XXII.

Certa D. Augustini mens aperitur: vestra duplicis adjutorii intelligentia traditur: vera humane naturæ statuum differentia declaratur.

I. AGE vero, & si superis placet, ea duplicis adjutorii adeo celebrata distinctio Augustinianæ doctrinæ basim habeatur, & clavis, non repugno, modo recto, germanoque sensu accipiat: quem hic paucis exponere satis erit, ad tela illa omnia retundenda, quæ ex prolixa illa Augustini contra Monachos Adrumetinos disputatione, adversus scholam Thomisticam, exeri solent.

Illud itaque scire juvat, non congruere inter se Theologos universos, quid nomine *adjutorii sine quo non intellexerit Augustinus.* Sunt qui eo nomine intellectum ab eo velint donum ipsam originalis iustitiæ, gratiam scilicet illam habitualem uberrimam, cumulativamque, quæ partem hominis superiori Deo, inferiori rationi subijciebat. Alii fuisse dicunt donum aliquod habituale, aut certe habitui simile, originalis iustitiæ dono superadditum: continuum scilicet, ut ipsi interpretantur, Dei in hominem influxum, quo & intellectui ejus fomentum luminis, & voluntati fomentum boni affectus subministraretur: sine quo iustitia ejus paulatim defectura esset; quænam admodum & oleo deficiente lucerna paulatim extinguitur, & deficiente cibo animal tandem absumitur. Utri verius sentiant, expendere in præsentia non est opus: cum quidquid demum eo nomine lubeat intelligi, perinde omnino sit, ad præfens quod hic agitur institutum: In quo non de

G 2

adjutorio *sino quo non fit opus*, vertitur quæstio; quod nemo negat, Adamo fuisse necessarium ad bene agendum, perseverandumque, & Adamo fuisse concessum. Illud tantum interest observare, donum illud habituale, qualecumque tandem fit, non incongrue a Theologis recentioribus, auxiliium ad bonum agendum, aut perseverandum in bono *sufficiens* appellari: quia per habitus supernaturales, virtutesque infusas homo redditur potens, ut supernaturaliter operetur. Quo sensu Doctor Angelicus 1. 2. *quæst.* 106. *art.* 2. *ad* 2. docet, quod *lex nova*. . . quantum est de se, *sufficiens auxiliium dat ad non peccandum*: gratiam habituale auxiliium sufficientis nomine, dubio procul intelligens. Quamquam aliunde non desint, in natura sicut lapsa, gratiæ actuales, quas eo etiam nomine appellamus.

In id vero consentiunt Theologi universi, nomine *adjutorii quo fit opus*, de quo hic prolixè differit Augustinus, ac num Adamo necessarium fuerit disputatur, gratiam actualem, & efficaciam intelligi. Hac enim adjutus homo, bonum re ipsa facit opus, utque illud faciat, datur a Deo quodvisque ex eius liberalitate donatur.

II. Illud porro adjutorium, (ut ad rem, quæ nobis in manibus est, veniamus) quamquam utroque in statu humanæ naturæ, atque etiam in Angelis, se ipso fit efficax, (quod tam multis probavimus argumentis) non ejusdem tamen quocumque in statu conditionis est, & efficaciam. Sanis datum hominibus, atque Angelis, adjuvans duntaxat est, non itidem sanans; lapsus hominibus datum, sanans simul est, atque adjuvans. Quo fit ut prioribus sanas jam atque integras vires habentibus, nullas novas vires adjiciat, sed habitus duntaxat juvet, eisdem operi applicando, determinando, efficaciter movendo: posterioribus vero fractas jam, quassatasque ex ægritudine vires habentibus, novas vires afferat, robur novum, fortitudinem novam adjiciat, simulque operi applicet, determinet, moveatque efficacissime. Uti plane si vir corpore sanus, & bene valens in præruptum locum velit ascendere, adjutorio quidem eget ille, quo ascendat, scala nimirum admota; at novas sibi vires adli non postulat, fat suis bene usus, dum scalam habuerit. Verum si ascendere velit æger, morboque debilitatus, satis illi scala non erit, sed novas sibi dari vires, fractasque restitui postulat, ut vel scalam pedem admoveat.

Ex quo tamen consequens non est, hominem novis illis instructum viribus, novoque robore donatum, ad statum originalis justitiæ redire, pristinæque sanitati restitui: quia non sunt vires illæ ad modum habitus permanentis, sed ad istar virtutis alicujus vialis, ac transitorie. Cujus hanc invictam rationem assertit Antoninus Reginaldus *part.* 2. *Cap.* 30. *de Mente Concilii Tridentini*, circa gratiam per se efficacem: Non potest gratia illa morbum expellere, ac pristinam resarcire sanitatem, nisi eo modo, quo ipsa confertur, & existit: cumque ipsa detur, & existat solum per modum motionis transeuntis; præcisè ratione sui non potest, nisi transeuntem hujusmodi morbum expellere, & valetudinem reparare. Hoc igitur præstat hæc gratia transeuntis, ut homo se Deo perfecte plus minusve subiciat, & partem inferiorem superiori ex vi illius supponat. Et in hoc differt a gratia efficaci Angelorum, & hominis innocentis: hæc enim gratia præsupponat bonum, & Angelum perfecte Deo subiectos, ratione prioris illius justitiæ, quam in creatione habuerant: ac solum vires habitualiter præexistentes applicabat ad opus; gratia vero efficax in homine lapsa, applicando volun-

tem ad actum, illam Deo, & appetitum sensibilem rationali subicit, non permanentem, sed ad modum transeuntis, & quoad illum duntaxat actum.

III. Certe *adjutorii quo status naturæ lapsæ id esse proprium*, ac peculiare, ut non modo voluntatem applicet operi, & opus explicet voluntati, verum etiam vires addat novas, robur adjiciat (quo nunc capite fiat rei summa) adeo est in Augustini doctrina certissimum, ut plane mirer, potuisse Theologos aliquos ea de re dubitare; gratiæque actualis efficacitatem in nuda voluntatis applicatione, & determinatione (qualis etiam in natura innocenti contingeret) collocasse. Quod nobis est in præsentis cumulatissime demonstrandum; antequam objectam ex Augustini verbis difficultatem expediamus. *Certum est*, inquit *ille lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. nos velle cum volumus: sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, præparatur voluntas a Domino*. . . *Certum est nos facere, cum facimus; sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati*. Quæ vero, amabo, gratia illa est, qua facit Deus, ut velimus, ut faciamus, nisi efficax actualis? Et hæc porro præbet, Augustino iudice, vires efficacissimas voluntati.

Et *lib. de Perfectione justitiæ cap. 10. Gratiam, qua Divina mandata ab hominibus justis facilliter, ac suaviter adimplentur, (quæ profecto nonnisi efficax est) Donum facultatis appellat*, quo fit, ut vires accipiant homines, quibus mandata Dei, qualia commendantur, adimpleant. Quod utique perperam diceretur, si nihil novarum virium, nihil novæ facultatis afferret, ac daret efficax gratia; sed præhabitas vires, facultatemque duntaxat operi applicaret. *Nec aliam ob causam Scriptura commemorat, non esse gratia Divina præcepta, nisi ut anima, quæ illa gratia sentit, intelligat, se nondum accepisse vires, quibus talia sint præcepta Domini, qualia commendantur, levitia scilicet atque suavia, & oret genitum voluntatis, ut imperet donum facultatis*.

Non absimiliter *cap. 3. lib. de pred. S. Neque velle possumus, nisi vocemur: & cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus præstabit, & perducatur quo vocat*. Et *lib. de corrept. & grat. cap. 11. Justi nunc in certamine laborantes, dari sibi pugnandi, vincendique virtutem, per Christi gratiam possunt*. En tibi rursus gratiam in hocce presenti statu efficacem, vires currentibus præbentem, vincendique virtutem certantibus adferentem.

Pari omnino sensu *lib. de nat. & grat. cap. 42. Neque de ipsa possibilitate contendo, cum sanata, & adjuva hominis voluntate, possibilitas ipsa simul cum effectu in Sanctis proveniat*. Gratia igitur adjuvans, quæ boni operis effectum largitur Sanctis, quæque ideo efficax vocatur, novum quoque possibilitatis gradum illdem largitur, & donat: quod absque novarum virium, novique roboris largitione præstari non potest.

Quid quod insuperabilem ad perseverandum fortitudinem per gratiam, (utique efficacem) tribui, verbis conceptissimis docet *lib. de corrept. & grat. cap. 8. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, & ut perseveret delictabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem*. Quid porro nova illa fortitudo sonat, nisi robur novum, vires novas?

Hoc idem significatum voluit S. Doctor, præclara illa sententia, *lib. de grat. & lib. arbit. cap. 17. Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, & invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit, & robustam*. Ea quippe Antithesis, inter hominem sufficientibus duntaxat auxiliis

xiliis adjutum, qui ideo mandatum Dei implere cum velit, non tamen complete potest, plene, atque perfecte; hominemque vicissim efficaci gratia motum, qui mandatum implere complete potest, atque plenissime, quia magnam tunc habet, atque robustam voluntatem: ea, inquam, Antithesis plus factis ostendit, gratiam efficacem præsentis status robur afferre, & magnitudinem voluntatis; non voluntatem operi simpliciter applicare.

Evincit id multo magis efficaciam gratiæ conditio, qualis in statu naturæ lapsæ, justis etiam, atque regeneratis conceditur. Hæc enim non adjuvans duntaxat est, sed & sanans, virtutemque medicam habet. Quia tametsi per habituales, & sanctificantem gratiam deleta sit in justis iniquitas, non est tamen ex integro sanata in illis infirmitas, sed ad finem usque vitæ curanda relinquuntur: ut egregie explicat Augustinus *Serm. 131. Quoniam autem passio, efficax gratia medicam vim possit habere, relictaque naturæ infirmitatem, atque languorem ad finem usque curare; nisi novas homini etiam justo vires adderet, novumque illi robur afferret? Cum enim residuus post justificationem natura languor, atque infirmitas, nil nisi acceptarum in creatione virium attenuatio, roborisque defectio sit; profecto sola virium, roborisque accessione curari potest.*

Quid etiam, quod Divina Litteræ, Romani Pontifices, Sacra Concilia, Ecclesiæ Patres Hæresis Pelagianæ debellatores, infinitis propemodum locis, ubi de gratia efficaci ad bonum opus necessaria, distincte loquuntur, hæc loquendi formulas soleant usurpare: *Hominem sine hujusmodi gratia, præstare bonum, aut perseverare in bono non posse*. . . *Hominem, ea sibi concessa gratia, jam posse, quod sine illa non poterat*. . . *Dicit hujusmodi gratiam homini justo, ut bene agere possit, quod antea non valebat*. &c. aliaque non absimiles, quæ potentiam novam agendi, per efficacem gratiam dari, aperte significant. Christus *Joannis Cap. 6. v. 44. Cap. 13. v. 36. Cap. 15. v. 5. Innocentius I. Epist. ad Episc. Africæ, inter Augustinianas, nunc 181. S. Leo Serm. 37. Cælestinus 1. in Capiulis. Concilium Carthagenense anni 418. Can. 6. Concilium Atracianum II. Can. 25. Tridentinum Sessio 6. Can. 22. S. Augustinus lib. de gratia Christi Cap. 10. & 26. lib. de gratia, & libero arbitrio Cap. 17. lib. 2. Contra duas Epistolas Pelagianorum Cap. 9. lib. 1. Operis imperfecti cap. 97. lib. de corrept. & gratia c. 12. Tractatu 92. in Joannem, Sermone nunc 296. Epistola ad Paulinum nunc 186. S. Prosper Epistola ad Rufinum, & lib. contra Collatores Cap. 5. S. Thomas quæst. 24. de veritate art. 14. Quæ sane loquendi formulæ Patribus, Pontificibus, atque Conciliis familiares, cum nonnisi de potentia completissima, plenissima, perfectissima, actualique proxima, atque conjuncta, explicari possint, ac debeant: (alias enim nemo necit, unicuique homini, ac potissimum justo, efficaci gratia certis in casibus desituro, veram, propriam, internamque bene agendi potestatem semper adesse, tametsi non perficere completam, atque perfectam) illud profecto relinquuntur, gratiam efficacem status naturæ lapsæ, novum aliquem potestatis gradum afferre; atque adeo vires novas, robur novum, iis quibus Divina bonitate tribuitur, elargiri.*

Hoc ipsum statuisse videtur sacra Synodus Tridentina *Sess. 6. de Justif. cap. 11. prægravi illa sententia, ex Augustino delibata lib. de Nat. & grat. cap. 43. & Epist. 157. Deus impossibilia non jubet, sed jubendo movet, & facere quod possit, & petere quod non possit, & adjuvat ut possit*. Quibus quidem verbis significat sacra Synodus, Divina

præcepta, certo quodam potentia genere, viro etiam justificato, de quo illic sermo est, quam doque esse impossibilia. Quomodo enim non sunt quodam sensu impossibilia homini, si quodam sensu homo non potest, & ideo petere debet: *ut possit? frustra enim peteret homo hujusmodi posse, si jam posse illud haberet*. Quid autem petit justus, dum petit ut possit, nisi gratiam efficacem, qua possit? Gratia igitur efficax, homini jam justificato, atque ita gratia habituali informato, auxiliisque sufficientibus instructo, novum insuper potentia genus, seu novum potestatis gradum impertit; quo videlicet completissime, plenissime, perfectissimeque possit, quod antea vere quidem, proprie, & intime poterat; non ita tamen perfecte, atque complete. Quis vero novum illud potentia genus, novumque illum potestatis gradum, gratia se ipsa efficaci collatur, sibi singat aliud, nisi robur novum, vires novas additas voluntati debilitatæ, fauciatæ, vulneratæ, ut re ipsa tandem agat, & præceptum adimpleat?

Quamquam quid multis id evincere nobis est opus; cum hoc idem ultro citroque concedat illi ipsi, contra quos agimus, Augustinianæ Scholæ Professores, ac pro indubitato doctrinæ suæ capite ponant: gratiam scilicet efficacem, quam in sola suavitate, & delectatione victricis voluntatis volunt, vires novas, novumque robur vulneratæ, & fauciatæ voluntati conferre. Id quippe nobis satis superque sufficeret, ut argumentum inde, quod ad hominem vocant, possimus petere; & Augustini mentem, quam nobis in hæc quæstione oppositam didicimus, ex illorum principis, atque dogmatibus interpretari, nobisque per omnia consentientem ostendere.

IV. Ea jam consideratione posita, dataque recta intelligentia *adjutorii quo*, quale in natura lapsa ab Augustinianis omnibus ponitur; ejusdemque *adjutorii quo*, quale in natura innocenti efficaci a Thomistis existimatur, atque defenditur: facillimum est prolixam illam Augustini in Monachos Atracianos disputationem in eum sensum inflectere, ut nihil Thomistica Scholæ Systemati adferretur, imo potius congruat longe maxime. Si nempe dixerimus, Augustinum non eo in capite utriusque status possuisse discernere, quod in illo quidem, adjutorio mere versatili egeret sanus, & integer homo, ut bonum ageret, & perseveraret in bono; in isto autem, adjutorio per se efficaci homo lapsus eger: sed in eo potius discrimen constituisse; quod cum utroque in statu, tam sanus, quam lapsus homo efficaci auxilio eger, eo tamen auxilio sanus duntaxat indigeat, ut integre ejus, sanæque vires operi applicentur, determinentur, ac moveantur; lapsus & contrario illo eger adjutorio, ut & novas vires, novumque ad bonum opus robur accipiat, & bono operi vires efficaciter applicentur.

Id sibi duntaxat voluisse Augustinum, ea illius verba significant, quibus suam illam, Adamam inter & justos hodiernos, positam Antithesim explicat *lib. de corrept. & grat. cap. 11. Ille, inquit, non opus habebat eo adjutorio, quod implerent isti (Sancti in hac vita) cum dicunt: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati &c. Atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari sibi pugnandi, vincendique virtutem, per Christi gratiam possunt*. Ille vero nulla tali rixa a se ipso adversus se ipsum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua pace fruebatur. Proinde est non interin letiore nunc, veruntamen potentiore gratia indigent isti. Quibus aperte significat, præsentis vitæ justos dari sibi per gratiam efficacem pugnandi, vincendique virtu-

tem, hoc est recentes vires, novumque robur expofcere: cum contra primus homo virium integer virtute ac robore bene praditus, ac fua fecum pace fruens, nihil horum dari fibi per gratiam opus haberet.

V. Ita obiectam fibi a Moliniano difputatore difficultatem illam, ex lib. de corrept. & grat. explanavit Thomas de Lemos, fumus ille divinae gratiae defensor, ac vindex, in Congregatione habita coram Paulo V. Pont. Max. die 22. Novembris anno 1605. Illud est, inquit, attente considerandum, quod D. Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 12. constituit differentiam inter hominem sanum, & Angelum cum gratia justificante, & inter hominem lapsum etiam cum eadem gratia justificante, in hoc, quod Angelus, vel homo, in illo primo statu, & ante peccatum, habebat naturam integram in suis naturalibus, ita quod non erat cum rebellionem carnis. Unde per gratiam justificantem talis erat, quod ad perseverandum non indigebat aliquo alio auxilio gratiae, dante efficaciores, vel majores vires voluntatis, At vero cum justificatus in natura corrupta, quia habet rebellionem carnis, quae non tollitur per gratiam justificantem, indiget homo, ut perseveret, auxilia dante majores, & efficaciores vires. Et ista doctrina est differentia, quam S. Augustinus in utroque statu constituit: non vero negat hominem etiam in illo primo statu indiguisse divina motione movente, & applicante ipsum ad operandum. Quia ista generalis motio in omni statu etiam perfectissimo necessaria fuit, ex essentiali subordinatione, quam habet causa secunda, ut moveatur a prima. Quod aperte, tum alibi, tum expresse docet S. Thomas 1. 2. quest. 109. art. 1. ad 9. ubi aperte docet, hominem in statu naturae corruptae indigere auxilio divino, duplici ratione: primo ratione generali, quia nulla creatura operatur sine motione divina, & secundo, ratione speciali, quia est in natura corrupta.

En tibi germanam, expeditamque objecti nobis in superioribus argumenti impedimentum solutionem: quam nisi illi ipsi, quibuscum res nobis est, benigne recipiant; gratiamque efficacem, adjuvantem saltem, moventem, & applicantem, sanquam Adamo, Angelisque ad bonum necessariam, ab Augustino laudatis in locis agnitam fatentur; ac nisi solam ab illo exclusam velint fanitatis gratiam, novas scilicet vires, novumque robur addentem; ii certe SS. Doctorem secum ipso pugnantem habeant, postquam alibi doctrinae suae principia, de quibus fat multa in superioribus diximus, ab imo suffodientem, concutientem, demolientem. Contra vero, si datam solutionem uti germanam acceperint; miram ubique principiorum consonantiam experientur; constantemque, ac nunquam sibi dissimilem totius doctrinae faciem comprobabunt.

Hanc ego solutionem, geminatque efficacis gratiae distinctionem certam, ad mare istud feliciter enavigandum, Cynofuram non dubitaverim appellare: in quam si modo intentos semper oculos habeat quisquis ad Augustini lectionem accedit; illius loquendi formulas omnes, tribus passim capitibus incurrentes, propositiones, assertiones, ac phrasas omnino singulas, quae ex prima facie videntur intricatissime, nullo negotio explicabit, & cum Thomisticae Scholae sententia conciliabit. Cujus breve in sequenti capite specimena datus.

CAPUT XXIII.

Augustini adversus Monachos disputantis summa doctrinae capitula minutatim, ac singulariter explicantur, & ad D. Thomae sententiam reducuntur.

I. **O**pponunt itaque loco primo eruditi disputatores, scribere Augustinum, *Adamo datum esse adjutorium perseverantiae, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset.* Quod bis terque quaterque repetit SS. Doctor, verbis quidem sin minus iidem, ac certe idem omnino significantibus.

Quis hoc nesciat, aut vertat in dubium? Cum enim non perseveraverit Adam, adjutorium profecto quo perseveraret nequaquam accepit, sed illud tantum, sine quo perseverare non posset. At non est id, ut monuimus saepius, quod quaritur in praesenti, ac de quo disputatum est haecenus: sed an adjutorio quo, seu efficaci egeret Adamus, ut re ipsa perseveraret; illudque a Deo acceperint Angeli boni, qui re ipsa perseverarunt. Qua de re nihil in obiecta periodo, aliisque similibus, pronunciat Augustinus.

II. Nihil plus officit, aut agitatam haecenus controversiam intimius attingit, quod idem interdum obijciunt: D. Augustinum dixisse non semel, *gratiam secundi Adam, hoc est Christi Domini, qua iusti in hoc praesentis vitae statu donantur, potentiores esse gratia primi Adam.*

Quis etiam id neget? cum de ea gratia loquatur illic Augustinus, quam re vera primus Adam accepit, ut posset perseverare si vellet; quamque adjutorium sine quo non vocitavit SS. Doctor: non de ea, quae necessaria illi erat, ut re ipsa perseveraret: de qua sola praesens est controversia. Quamquam etsi daremus, Augustinum Christi gratiam cum Adami gratia contulisse, non quam habuit, sed quam esset habiturus, si perseveraretur fuisset, quozque illi erat ad perseverandum necessaria; nihil prorsus officeret; quod illam SS. Doctor potentiores identidem vocitasset: nec inde consequens foret, gratiam Adamo ad perseverandum necessariam, efficacem non fuisse, sed mere sufficientem, ac etiam versatilem. Quandoquidem eodem in ordine gratiarum per se efficacium, potest altera esse potentior, si ad plures, eosque nobiliores, difficilioreque effectus edendos destinatur a Deo. Qualis profecto gratia viris iustis in praesentia datur, tum ut majores ad bonum edendum, & efficaciores vires accipiant, tum ut operi applicentur, determinentur, ac moveantur.

Annon, quzso, potentiores gratiam dixeris, qua Christus Saulum spirantem minarum, & caedis vocavit ad fidem, quam qua latronem de Cruce pendulum, suorumque scelerum poenas dantem vocavit ad poenitentiam? Utraque tamen se ipsa est efficax, neutra versatile, & ex liberi arbitrii assensu pendula. Potest itaque, si solam loquendi formulam species, gratia aliqua alterius comparatione dici potentior, quin idcirco altera ista versatile censeatur, ac per se ipsam inefficax. Atque adeo potuit, ac etiam debuit Augustinus, gratiam praesentis vitae iustis ad triumphum reportandum, a Deo datam, potentiores altera gratia dicere, quae fuerat Adamo ad perseverandum necessaria; quin eam idcirco versatilem reputarit, & ex se ipsa minime efficacem. Cum alias, ut dixi, nihil pugnet, ex duabus gratiis per se se etiam efficacibus, alteram esse altera potentiores. Uti etiam in causis naturalibus accidit, quae licet a se ipsis, atque ex intimis efficiendi vim habeant, sunt tamen alia aliis

aliis potentiores; illarumque una quandoque potest, quod altera perinde non potest.

Nec est quod mihi quisquam obtrudat vulgatum illud nonnullorum Thomistarum axioma: *Gratiam efficacem lassitudinem non habere, nec suscipere majus, & minus: quasi vero nulla possit esse efficax gratia, altera major, efficacior, atque potentior.* Quamquam enim veritatem fortassis haberet hoc axioma, si gratiam efficacem spectemus unice, ut est physica duntaxat determinatio voluntatis ad actum bonum; minime tamen ut est, aut certe ut secum affert spirituales quamdam suavitatem, vitricemque delectationem, quae repugnantem carnalem delectationem vincit, ac superat. Quis enim neget, majorem, minoremve spirituales delectationem esse oportere, ut major, minorve carnalis delectatio superetur, atque vincatur?

Illud potius movere aliquem potest: quod Augustinus non modo potentiores dicat esse gratiam secundi Adam, quam prioris; seu quae iustis ad pugandum, in statu naturae lapsae conceditur meritis Christi; verum etiam majorem illis libertatem necessariam esse, isdemque a Deo dari contendat, quam quae fuit concessa Protoparentibus. Major quippe libertas, verba sunt ejus *lib. de corrept. & grat. cap. 12. est necessaria adversus tot, & tantas tentationes, quae in Paradiso non fuerunt, dono perseverantiae munia, atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus.* Hoc Sanctorum Martyrum docuerunt. Ut quid ita? Cum ex adverso conditi hominis libertatem adeo exaggeret, commendat, ac celebret Sanctissimus Doctor; lapsi vero hominis, tamen si subinde justificatus sit, libertatem adeo deprimat, ut attenuatam illam, imminutam, inclinam, debilitatam esse originali peccato, sexcentis admodum locis affirmet.

At mirari desinet quisquis animadverterit, Augustinum majorem nunc iustorum, ac potissime Martyrum libertatem dixisse; non quod talis se ipsa, & ex vitata origine sit, sed quod major, hoc est, robustior, ac firmiter, potentiori Christi gratia fiat, de qua Joannis 8. dictum est, *si vos filius liberaverit, vere liberi eritis:* Major inquam, quia dono perseverantiae munitur, atque firmatur, in praesentis vitae iustis, atque Martyribus: quod in Protoparentibus re ipsa non accidit. Quare nihil secum pugnat Sanctissimus Doctor.

III. Congerunt loco tertio eruditi disputatores inculcata saepius SS. Doctoris verba, tribus passim capitibus *lib. de corrept. & grat. ante laudati.* Tale fuisse adjutorium Adamo datum, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet. . . . Deum suam gratiam reliquisse in Adami libero arbitrio. . . . Deum in Adami libero arbitrio reliquisse, ut vellet in bona voluntate permanere. . . . perseverare, & non perseverare in ejus libero arbitrio fuisse relictum. . . . in viribus liberi arbitrii fuisse, antequam homo caderet, ut non discederet a Deo: quod ille diserte ait *cap. 7. De dono persever.* Aliaque id genus multa, quae gratiam versatilem, liberoque arbitrio subditam formate videatur, ipsamque perseverantiam ex sola Adami voluntate pendente.

Verum spurca confectiones illae sunt, atque ex iis Augustini loquendi formulis minime fluentes. Quantaecumque enim fiat integra voluntatis humanae, sanique arbitrii commendatio, in cuius nutu, facultate, ac potestate bonus gratiae usus, bonum opus, perseverantia demum in bono dicatur esse: nusquam tamen id ad injuriam, seu quod ajunt, ad exclusionem efficacis gratiae debet intelligi; cujus ope, ac beneficio ipsum quoque

bonum opus, & perseverantia in bono, bonique gratiae usus, in homine etiam sano, & integro praestatur, & datur a Deo. Cujus haec invicta ratio est: quod pares ab Augustino videamus usurpatos loquendi modos, pares voluntatis humanae, liberique arbitrii commendationes, ubi de homine in statu naturae lapsae constituto sermonem facit: ex quibus tamen nemo colliget prudens, agnovisse illum, in statu naturae lapsae, versatilem gratiam, liberoque arbitrio subditam, atque ex sola lapsi hominis voluntate pendente perseverantiam usque in finem. Sic *cap. 7. hujusce, quem expendimus, libri de corrept. & grat. eorum excusationem rejiciens qui dicunt, non perseveravimus, quia perseverantiam non accepimus; reponit: bono in eo quod audieras, & teneras, in eo perseverares, si velles.* Et *lib. de nat. & grat. cap. 64. de fide divina disputans adversus Pelagianos, ad ipsum, inquit, arbitrium pertinere vocantem audio, & credere.* Et *lib. 12. de Civitat. Dei cap. 6. de duobus adolescentibus loquens, eadem vultus pulchritudine delectatis, eademque carnis tentatione pulsatis. Si eadem, inquit, tentationes ambo tententur, & unus ei cedat, alter idem quod fuerat perseveraret; quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere? Quemadmodum ergo iis in locis liberum lapsi hominis arbitrium, tanquam immediate, proximamque perseverantiae, fidei, atque victoriae causam duntaxat assignat; salvo nihilominus jure causae primariae, atque supremae, a qua habet causa secunda ut velit, & agat; atque adeo efficacis gratiae necessitate minime negata, sed certo supposita: ita dum gratiae usum, ipsamque perseverantiam in Adami arbitrio positam dicit, atque relictam; proximam duntaxat boni usus, & perseverantiae causam indigitat; suprema, atque primariae boni cujusque operis causam subintellecta, illiusque efficacis gratiae necessitate perinde supposita: iuxta alibi posita doctrinae suae principia, de quibus in superioribus abunde dictum est: illudque praestertim, quod habet in *Enchirid. cap. 106. Homo in Paradiso, ad se occidentem relinquendo justitiam, idoneus erat per voluntatem; ut autem ab eo tentaretur vita justitia, (hoc est ut in justitia perseveraret) parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat, adjuvaret.* Ut nimirum intelligamus, velle ipsum, seu bonae voluntatis actum ita fuisse in Adami potestate relictum, ut novo tamen ad eum exerendum adjutorio indigeret.*

Mentem ipse suam, tamen non erat opus, distinctius aperit Augustinus *lib. 1. retract. cap. 10.* ubi pares loquendi formulas a se pridem usurpatas exponit, quibus Pelagiani audaciter abutuntur; quod ipse non semel homines bene agere posse dixisset, Deique mandata servare, si vellet: monetque id a se, abque divinae gratiae praesidio, dictum esse, quae Deus in hominibus operatur ut velint. Quod vero dixi, illud autem lumen non irrationabilium avium oculos patcit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporalium se ad ejus praecpta implenda convertunt, quod omnes homines possunt, si velint, non existiment novi Heretici Pelagiani, secundum eos esse dictum. Verum est enim omnino, omnes homines hoc posse si velint, sed preparatur voluntas a Domino, & tantum augetur numero caritatis, ut possint. Nihil est itaque quod paribus loquendi formulis moveamur, dum ab Augustino, Adami etiam occasione, sunt usurpatae: quasi vel illae efficacis gratiae, sin minus sanantis, viresque addentis, at saltem moventis, & adjuvantis necessitatem excluderent. Imo hanc ipsam necessitatem pro certo

to supponant; juxta quod habet alibi, de Adamo ipso sermonem habens: *lib. 11. de Genesi ad litt. cap. 4. In sua potestate habebat velle non consentire suadenti; adjuvante tamen illo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. In Eschib. ad Laurentium cap. 107. Factus est homo rectus, ut & manere in ea rectitudine posset, non sine adjutorio divino. Et cap. superiori: Esti peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitia retinenda sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium praeberetur.*

IV. Addo, bonum usum gratiae, ipsamque perseverantiam in bono, in libero primi Parentis arbitrio relictam, ac etiam in viribus liberi arbitrii positam, dici ab Augustino potuisse, absque gratiae efficacibus adjuvantibus injuria; ad eum plane modum, quo familiari sermone solemus dicere, in hominis bene sani, ac bene valentis potestate, viribusque positum esse, ut *si velit*, in locum eminentem ascendat; quin idcirco scilicet operam velimus exclusam: quod tamen de homine aegrotante, etsi illi forte praesto sit scala, non dicimus. Quemadmodum enim de homine bene valente sic loquimur, quia fat virium se ipso habet, nec novas sibi dari postulat, ut ascendere queat; nec illa ipsa, qua nihilominus indiget, scala, vires illi novas est allatura, sed adminiculum duntaxat adferet, ut suis ipse viribus possit uti, easdemque arduo operi applicare: ita quia fat virium, roborisque in statu innocentiae habebat liberum hominis arbitrium, ut & bonum ageret, & perseveraret in bono, acceptaque jam gratia uteretur; & si qua illi ad bene agendum, & perseverandum in bono, actualis efficax gratia necessaria erat, non ad hoc erat illi tunc necessaria, ut majores, atque efficaciores eius vires acciperet; (quod in statu naturae lapsae contingit) sed ut nativae, congenitaeque vires originali justitia cummulatas applicaret operi, iisdemque, prout postulabat officium, uteretur: idcirco jure meritoque dixit SS. Doctor, & gratiae usum, & bonum opus, & ipsam demum perseverantiam in bono, Protoparentis arbitrio fuisse relictam, illiusque in viribus positam. Quare erat hoc totum, ut brevi verbo complectar, in viribus liberi arbitrii, exclusa quidem efficaci gratia, majores illi, efficacioresque vires praebente: non item exclusa efficaci gratia, simpliciter adjuvante, applicante, ac praedeterminante. Quovis tandem modo praedeterminatio illa contingat; seu per physicam quandam motionem animae impreffam, quod censuit D. Thomas; seu per quandam delectationem victricem a Deo inspiratam, & inditam, quod docuit Augustinus; seu, quod ego verisimilius existimo, per utramque simul. Nec enim altera alteram excludit, sed secum habet adjuvanciam: ut & hoc pacto Doctore Angelico concilietur Augustinus: qui victricem illam delectationem, divinae motionis, seu gratiae actualis effectum, ac fructum appellat, ut vidimus cap. 15. A quo tantum abest, ut abhorruerit D. Thomas, ut contra potius identidem insinaverit, *1. 2. quest. 33. art. 4. & in 4. sent. dist. 49. quest. 3.*

Quid quod ipsi etiam Discipuli Divi Thomae, gratiam sufficientem status naturae lapsae, in hominis arbitrio relictam dicunt saepe numero; vel ob id unum, quod homini detur ut liber est, utque ea utatur libere: quamquam bonum illius usum, non nisi ex gratia se ipsa efficaci possit habere. Quanto itaque meliori titulo, gratiam Adamo innocenti a Deo datam, in ejus arbitrio relictam dicere potuit Augustinus, quod haec homini liberrimo data esset, utque ea uteretur li-

bere; quamquam non nisi ex gratia se ipsa efficaci auxilio illius usum esset habiturus?

V. Hac nostra responsione occupatur in antecessum altera difficultas, quae statim nonnullorum animum pulsavit. Si Augustinus, inquirunt aliqui, bonum gratiae usum, bonique operis actum, ipsamque etiam perseverantiam in bono, in libero Protoparentis arbitrio relictam affirmans, sine praedeterminato gratiae efficacis dictum id vellet, adeo ut gratia etiam efficax, haec ipsa bona in illo esset operatura; perperam itaque aliam Adami, aliam jutorum praesentis status conditionem afferuisset: cum vel sic potius mutuo convenissent, quod gratiam per se efficacem perinde desiderassent. Haec inquam ex dictis occupata est difficultas. Quia sine praedeterminato gratiae efficacis simpliciter adjuvantibus, applicantibus, ac praedeterminatis illud est dictum, quam utroque in statu volumus necessarium; non tamen abque alterius praedeterminato; imo potius, ut aptius loquar, exclusa altera efficaci gratia, majores vires, novumque robur addente, hominemque sanante. Quo in capite tantum abest, ut aqua sit status utriusque conditio, ut ob id potius longe, multumque discrepent invicem.

Illud ergo perperam nobis assignatur, quod admittit utroque in statu efficacis alicujus gratiae necessitate, parem utriusque status conditionem faciamus. Absit id a mentibus nostris: imo disparem omnino volumus statuum conditionem. At non in eo dispares illos volumus, quod in uno sola versatilis gratia praesto sit, in altero se ipsa efficax gratia conferatur: sed quod utrobique cum sit efficax necessaria, non sit tamen utrobique paritas efficacitatis, atque virtutis. Cum in illo voluntatem simpliciter adjuvet, moveat, applicet operi; in isto voluntatem adjuvando, movendoque sanet, novaque illi vires, novumque ad bonum opus robur adiciat.

C A P U T XXIV.

Aliae exponuntur Augustini sententiae, ex hac eadem adversus Monachos Adrumetinos disputatione, delibatae.

I. Pari facilitate explicantur, & cum D. Thomae, ejusque Angelicae Scholae systemate conciliantur, quae solent aliae D. Augustini sententiae nobis obijci, ex laudatis tribus capitibus desoratae. Modo tamen ad datam haecenus distinctionem, duplicis scilicet efficacis gratiae, oculos semper intentos habeamus.

Obijciunt igitur quarto loco frequentes Augustini de Angelis assertiones: *Angelos sanctos, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium stetit; hujusque mansionis debitam mercedem recipere meruisse. . . . Malos Angelos per liberum arbitrium a Domino Deo refugas factos esse; ceteros autem per ipsum liberum arbitrium in veritate stetit. . . . Ita tunc arbitrium fuisse liberum, ut bene velle posset, & male. Quae sane bonos Angelos absque novae gratiae ope stetit significare videntur; uti profecto mali Angeli, absque novae gratiae beneficio, sed solo libero arbitrio ceciderunt.*

Verum hujusmodi confutationes elici vetat Augustinus, cujus illa lex est saepius inculcata: non idcirco negari necessitatem gratiae, quod liberum commendetur arbitrium, sed supponi; cum ab ipsam gratia & humanum, & Angelicum regatur arbitrium; ut ex locis ejusdem paulo ante laudatis planissimum sit. Quare dum objectis nunc locis affirmat SS. Doctor, Angelos bonos per idem liberum arbitrium stetit, per quod re-

probi

probi ceciderunt; liberum arbitrium idem intelligit identitate, ut ita loquar, virium a gratia sanctificante, cum qua conditi sunt, profluentium; aut etiam idem intelligit identitate virium naturalium, ingenitae fortitudinis, roboris, ac virtutis; non identitate adjutorii, atque praesidii actualis a Deo suscepti. Ut nempe significet, malos Angelos eadem in sui creatione gratia sanctificante donatos, iisdem nativis viribus, eodem naturae perfectissimae robore, ac fortitudine succinctos cecidisse, quibus succincti boni Angeli steterunt, ac perennarunt: quamquam fuerint isti novo supra naturam, & praeter sanctificantem gratiam habituales, actuali Dei adjutorio freti, & confirmati. Cujus haec ratio est, a nobis jam de primis Parentibus data: Quia cum essent Angeli boni natura integerrima, robustissima, perfectissima praediti, gratia sanctificante insuper ornati; fatigae jam habere virium, roboris, fortitudinis, ut facerent bonum omne, quod vellent: quod illis subinde accessit Divinae gratiae adjutorium, ut starent, novas vires, novumque robur non attulit, sed habitas jam operi vires applicavit, determinavit, & velle donavit.

II. Addunt quinto loco Theologi recentiores antithesim saepius positam ab Augustino, Adamum inter & justos vitae praesentis: illum quidem tanquam via ipsius conditione fortissimum, istos tanquam vitiatam origine debilitatos, & infirmatos. Fortissimum dimisit, atque permisit facere quod vellet: infirmis servavit, ut ipso donante invictissime, quod bonum est, vellent, & hoc deservere, invictissime nolent. . . . Subvenit est igitur infirmitati voluntatis humane, ut Divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur. Qua quidem antithesi significatum existimant, auxilium se ipso efficaci, hominemque indeclinabiliter, & insuperabiliter ageri necessitatem, ex sola naturae originali peccato fauciata infirmitate originem ducere: Adamumque ex ipsa sui conditione fortissimum, suis viribus fuisse relictum, ut se solo ageret ipse quod vellet. Non est tamen ita, nec is est positae antithesis sensus, sed qui a nobis saepius datus est: Adamum scilicet pro ingenita fortitudine sibi ipsi fuisse relictum, ut absque novo auxilio, novas illi vires, novumque robur addente, faceret ille, quod vellet: justorum vero vitae praesentis infirmitati fuisse provifum, atque subvenit, ut auxilio non modo efficaciter adjuvante, atque movente, sed & novam fortitudinem afferente, novaque illi vires, novumque robur addente munirentur. Aut si majoris, Adamum ex-naturae conditione fortissimum, sibi fuisse dimissum, atque permiffum, ut faceret ipse quod vellet: non quasi ad expertiundas vires, quid illa sibi relicta ad bonum possent; sed ut suam potius, efficaci gratia destitutus, infirmitatem, & impotentiam agnosceret: ut alibi saepius explicat Augustinus, de quo plenius paulo infra.

Idem plane sensus est alterius antithesis ab Augustino identidem positae: quod nempe primi hominis arbitrium ita tunc liberum esset, ut bene velle posset, & male; secus vero liberum arbitrium hominis lapsi. Non enim eo verbo significat Augustinus, potuisse tunc primum hominem bene velle, Deo per gratiam efficacem moventem saltem, & adjuvanciam non operante, ut vellet; quasi vero eo ex capite sanus homo fecerneretur a lapsu: absit: ac id significat unice, potuisse tunc primum hominem bene velle, absque gratia efficaci novas illi ad bonum vires, novumque robur addente: quo ex capite vere fecernerit ab homine lapsu; qui absque novi roboris, nova-

Serry Tom. VI.

rumque virium accessione, bonum supernaturale velle omnino non potest.

III. Ceterum non fuisse ab Augustino antithesim positam; sanum inter, & lapsum hominem, ubi de gratia efficaci simpliciter adjuvante, non itidem sanante sermo venit, liquet ex *lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 10. ubi Adamum, perinde ac ceteros quoslibet justos, de accepta justitia retinenda nunquam sibi esse securos ostendit; nunquam tutos contra pericula, si suis viribus relinquantur, suoque ipsorum comitantur arbitrio, nisi Divina illis accederet gratia, quae bona in illis opera continuo operetur, juxta istam phrasim, cap. 26. omnia opera nostra operatus es in nobis Domine; bonosque fructus proficere eis faciat, ac tandem illos beatos efficiat. Eum enim locum expendens cap. 2. Genes. v. 15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum, sensum illius ceteris praeposendum esse ait, positum illic fuisse hominem, ut ipsum hominem operaretur Deus, & custodiret: quod ita deinde commentatur: Sicut enim operatur homo terram, non ut eam faciat esse terram, sed ut cultam, atque fructuosam: sic Deus hominem multo magis, quem ipse creavit ut homo sit, cum ipse operetur ut justus sit, (utique perseveranter, cum antea justus esset, quam poneretur, in Paradiso) si homo ab illo per superbiam non abscedat. . . .*

Quia ergo Deus est incommutabile bonum, homo autem, & secundum animam, & secundum corpus mutabilis res est; nisi ad incommutabile bonum, quod est Deus, conversus subsisteret, formari ut justus, beatusque sit, non potest. Ac per hoc Deus idem, qui creat hominem ut homo sit, ipse operatur hominem, atque custodit, ut etiam bonus, beatusque sit. Quapropter qua locutione dicitur homo operari terram, quae jam terra erat, ut ornata, atque fecunda sit, ea locutione dicitur Deus operari hominem, qui jam homo erat, ut pius, sapiensque sit, eumque custodire, quod homo sua potestate in se, quam illius supra se delectatus, dominationemque ejus contemnens, ratus esse non possit. Et cap. 12. Neque enim tale aliquid est homo, ut factus, de se ipso, possit aliquid agere bene tanquam ex se ipso: sed tota ejus actio bona est, converti ad eum, a quo factus est, & ab eo justus, pius, sapiens, beatusque semper fieri: non fieri, & recedere, sicut a corporis Medico sanari, & abire; quia Medicus corporis operarius fuit extrinsecus, servus naturae intrinsecus operantis sub Deo, qui operatur omnem salutem gemino illo opere providentiae, de quo supra locuti sumus. Non itaque ita se debet homo ad Dominum convertere, quod cum ab eo factus fuerit justus, abscedat, sed ita ut ab illo semper fiat. Eo quippe ipso cum ab illo non discedit, ejus ipse praesentia justificatur, & illuminatur, & beatificatur, operante, & custodiante Deo, dum obediens, subiectoque dominatur. Ita ille: quo nihil disertius profertur potest, ut evincatur, Adamum, de quo illic potissime sermo est, a Deo in justitia conditum, suae deinceps voluntatis, suisque viribus non fuisse relictum; sed Deum ita illum deinceps excoluisse, ut bona etiam illius opera operaretur in eo, quamdiu in Paradiso terrestri subsistit, ipsamque etiam perseverantiam in eo esset operaturus, nisi ille a Conditor suo per superbiam recessisset.

IV. Opponunt insuper, Augustinum illud potissimum observasse, Deum prius ostendere voluisse, quid possit liberum arbitrium Angelorum, & hominum; deinde quid possit gratiae beneficium, justitiaeque judicium. Quod ita illi interpretantur: Deum in prima mundi molitione, tale Angelis,

H

pri-

primisque Parentibus arbitrium contulisse, quod se solo, & sine novæ gratiæ beneficio, bonum perinde agere posset, ac malum: tum gratiæ liberatrici beneficium lapsis hominibus ad veniam concessisse; justitiæque iudicium in Angelos apostatas exercuisse, æterna illis inflicta damnatione.

Ast absona prorsus interpretatio illa est, ac duplici quidem ex capite. Primo, quia sat bene potuit Deus ostendere quid posset liberum arbitrium Angelorum, & hominum, dum tantarum illud virium, & fortitudinis condidit, ut novo ad bene agendum gratiæ beneficio non egeret, quod novarum illi virium, novi roboris, fortitudinis novæ accessio fieret: est eo egeret maxime, quo vires illius ingenitæ operi applicarentur, ac determinarentur. Uti plane quid præ ægro homine possit sanus, ille censeretur ostendere, qui amobus in locum præruptum ascendere meditantibus, sano scalam duntaxat, ut ascenderet admoveret; ægro autem medicinam simul, & scalam offerret; illam quidem, qua primum vires resciret; istam, qua saluti pristinæ restitutum in sublime ferretur. Secundo data interpretatio facilis est: quia non ad liberi arbitrii, quale primo Angelis, & hominibus datum est, commendationem ibi loquitur Augustinus; sed ad depressionem potius & demissionem: nec Deum ostendisse ait, quid te solo, & sine novæ gratiæ beneficio, liberum arbitrium posset ad bonum; (uti Theologi illis interpretari lubet) sed quid tantum posset ad malum: juxta quod cap. II. lib. de corrept. & grat. habet de homine primo: liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Et lib. de nov. Cantio. cap. 8. Quid valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi; ad bonum non, nisi adjuvetur a Deo. Rursus serm. 26. de verbis Apostoli: Regebat enim eum ipse qui fecerat, voluit deserere a quo actus erat, permisit Deus, tanquam dicens, deserat me, & inveniat se, & miseria sua probet, quia nihil potest sine me. Hoc modo ergo ostendit voluit Deus, quid liberum arbitrium valeat sine Deo: nempe non nisi Deum deserere, & prolabi in miseriam. Unde & addit: O malum Arbitrium sine Deo! Experti sumus quid valeat sine Deo. Ideo miseri facti sumus, quia sine Deo quid valeat experti sumus.

Quare tantum abest, ut ex ea toties decantata Augustini sententia; quidpiam contra systema Themistarum possit extundi, ut ex ea potius maxime confirmetur. Si enim prius in Angelis, & hominibus ostendit Deus, quid eorum liberum arbitrium sine gratiæ beneficio posset ad malum; non item quid posset ad bonum; imo si nihil ad bonum erat, nisi juvaretur a Deo: argumento est, illud ad bonum edendum, & perseverandum in bono, alio quod nondum habebat, eguisse gratiæ beneficio; quod certe non nisi efficax fingi potest.

V. Observant præterea, opponuntque fidentius: Augustinum tota illa cum Monachis Adrumetinis habita disputatione, quoties de gratia efficaci, seu de adjutorio quo fit opus, iustis ad præsens pugnantibus atque certantibus necessario, loquitur, hanc unam hujusce necessitatis rationem ininuare, naturæ scilicet in iis fauciatæ, ac vulneratæ infirmitatem, viriumque defectionem. Hincque consequens esse volunt, ut nullam hujusmodi necessitatem in Adamo noverit Augustinus, in quo nulla tunc erat naturæ depravatio, nulla corruptio.

Quibus id unum reponere juvat: non aliam ill-

lic Augustinum necessitatis hujus rationem afferre, quod de gratia efficaci medicinali, novas justis certantibus, atque pugnantibus vires addente sermonem faciat; non de gratia efficaci simpliciter adjuvante, movente, ac prædeterminante questionem insituat. De qua tamen ubi illi disputare contingit, alias necessitatis hujus causas assignat; ac tum maxime servandam creaturæ rationalis erga Deum, in operibus præsertim supernaturalibus subjectionem, atque ut Schola loquitur, dependentiam. Quod etsi permittit loco suo probavimus argumentis, placet nihilominus alterum addere, ex hoc ipso lib. de corr. & grat. sumptum, unde totum adversæ sententiæ vindicæ præsidium petunt.

Probat igitur eo in lib. SS. Doctor cap. 2. operari Deum in cordibus hominum; ut quod agendum est agant; inspirationemque bonæ voluntatis, & operis fidelibus instillare, ea subministratio virtutis, quæ omnia in rebus omnibus operatur. Ac postmodum c. 14. postquam duplex illud adjutorium quo fit opus, & sine quo non fit distinguit, efficaci gratiæ necessitatem ostendit, ducta comparatione, ac etiam probatione, ex efficaci, & præpotenti illa virtute, qua res ipsas naturales producit, conservat, fovet, & auget. Cum autem homines, inquit, per corruptionem in viam justitiæ seu veniunt, seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille, qui quolibet plantante, atque rigante, & quolibet in agris, vel arboribus operante, dat incrementum Deus, cui volenti saluum facere nullum resistit arbitrium? Sic enim velle, seu nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. Etiam de his enim, qui faciunt, quæ non vult, facit ipse, quæ vult. Quæ sane probatio efficacitatis Divinæ gratiæ, non ex infirmitatis humanæ titulo petitur, sed ex ipsa creaturarum omnium a DEO OPT. MAX. dependentium subjectione; quæ major profectio in actibus supernaturalibus, quam naturalibus debet esse.

VI. In ultimo tandem notant, obijciuntque non semel, Augustinum lib. de corrept. & grat. monuisse, futurum fuisse Adami meritum, si permanere voluisset.

Bona tamen fide dicam, quid inde colligant prorsus ignoro. Forsan permanendi voluntatem in homine primo ex Dei gratia orturam non fuisse, ne si esset ex gratia, non illi esset ad meritum? Proh quam horrendum, si sic colligunt, Paradoxum! Quasi vero aut gratia merito posset obesse, aut meritum gratiæ: cum potius merita quæque quovis in statu dona fiat gratiæ, siquæ Deus dona coronet, dum munerat merita nostra. At de his fat multa diximus cap. 12. n. 3. ubi hanc ipsam difficultatem, Angelorum etiam occasione fieri solitam, in antecessum occupavimus.

His ferme responsis, luce ut arbitror meridiana clarioribus, habebit religiosus Augustini sectator, unde sparlas tribus capitibus lib. de corrept. & grat. sententias tam multas in reatum, & Angelicæ Scholæ congruentem sensum exponat; ne ab ea, quam hæcenus propugnavimus opinione, dimoveatur.

Habebit unde & illud exponat SS. Doctoris estatum lib. de dono persever. cap. 7. ubi cum gratiam nobis necessariam docuisset ut non discedamus a Deo, atque ita ut perseveremus in bono; e vestigio subiungit: Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii; quales nunc sunt; fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis, in illius primæ conditionis præstantia quantum

valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, pervenire meruerunt. Post casum autem hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pervenire, ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam voluit pervenire, ut homo non recedat ab eo. Quo ex loco consequens videri posset, non esse quidem in præsentis vitæ statu perseverantiam, in potestate voluntatis humanæ; in illius tamen integra potestate fuisse, in statu naturæ innocentis: hocque ipsum in semetipsis expertos Angelos Sanctos, ingenitis viribus steterisse, ac perennasse.

Ex dictis enim ac millies inculcatis intelligit religiosus Augustini sectator: non esse nunc perseverantiam in liberi arbitrii viribus postam; eo sane modo, quo fuit in Angelis, & in homine primo; nempe sine ope efficaci gratiæ, & in homine primo; quandoque erant illis integerrimæ vires, sufficientissimæque quamquam aliunde nec in illorum quidem viribus perseverantia fuisset, seclusa gratiæ cuiusvis prædeterminantis, viresque, roburque operi applicantis necessitate.

Cætera, si qua sunt, tum ex tribus Capitulis de corrept. & grat. cum ex aliis Augustini libris obijci solita, ea cumulate suis locis, dum probationibus intendemus, explicavimus, ac probe diluimus.

CAPUT XXV.

Postrema, adversus datas solutiones, objectiones occupantur.

I. AT ecce, inquiet mihi aliquis, si sic est uti diximus, nihilque aliud sibi voluit Augustinus nervosis illis loquendi formulis, atque sententiis, quam quod hæcenus exposuimus; non indiguisset scilicet Prædeterminantes, & Angelos auxilio efficaci, majores illis, uberiorisque conferente vires, sed juvante duntaxat, movente, applicante, ac etiam prædeterminante; objectionem itaque a Monachis Adrumetinis difficultatem minime solvit SS. Doctor, sed callide potius dissimulavit. Quærentibus enim Monachis, cur modo iustis hominibus vitio vertatur, itique graviter corripiantur, quod in accepta justitia minime perseverent; tamen neget illis Deus inæstimabile illud donum, quo solo fieri potest, ut re ipsa perseverent; reposuerat illico Augustinus, negaturam illis esse donum illud; ob demeritum originalis peccati; atque ita in vitio illos esse, si non perseverent; quia & hæc ipsa doni ad perseverandum necessarij denegatio ex ipsorum naturæ vitio ortum habet. Tum instantibus illis, & importune quærentibus, quorsum ergo Adamo vertatur vitio; quod non perseveraverit in accepta justitia; cum fingi non possit negatam illi esse gratiam ad perseverandum necessariam; propter demeritum originalis peccati; respondit Augustinus, ut eo se nodo expediat: Nec ipsum Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio. . . . Quod adjutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus: sed deseruit, & deseruit est. Tale quippe erat adjutorium, quod desereret cum vellent, & in quo permaneret si vellent, non quo fieret ut vellent. Quo responso si sibi tantum id voluit, quod toties inculcavimus, nempe originalis justitiæ donum in libero ejus arbitrio fuisse relictum; quod nempe tantum se ipso esset virium, ut efficaci non egeret auxilio; majores uberiorisque vires illi conferente; tamen aliunde efficaci egeret auxilio ad-

juvante, movente, determinante; haud plane soluta est difficultas; cum perinde quæri posset ab Augustino, cur Adamo ea fit denegata gratia adjuvans, ac prædeterminans: curve ea sibi denegata, quæ aliunde ad perseverandum dicitur necessaria, adhuc tamen non perseverando peccaverit?

II. Responso mihi gemina præsto est. Prima, Augustinum objectæ Monachorum difficultati satisfecisse, quantum humano studio fieri potest; etsi non de integro satisfecerit, qua parte inscrutabili Dei judicio reservatur. Dum enim illic disputando ventum est, quo re ipsa pervenit SS. Doctor, non ultra progreditur humana mens: quodque præterea quæri potest, ad inscrutabilia Dei judicia amandatur, & ab iis duntaxat curiosis inquiritur, qui plus sapient, quam oportet. Hæc ipsa Doctoris omnium uti doctissimi, ita & humillimi confessio est lib. II. de Genesi ad lit. cap. 10. Possit etiam Deus ipsorum (malorum) voluntates (dicamus hic peccantis primi hominis voluntatem) in bonum convertere, (data illi gratia prædeterminante) quoniam omnipotens est. Possit plane. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluit, penes ipsum est. Debemus enim non plus sapere, quam oportet sapere (Quod generatim & univèrse, de conversione voluntatis malorum in Deum, ne cadant, ab Augustino dictum est; non de conversione post lapsum, ut per penitentiam respiciant; uti Anonymus Annotator existimavit, quo mihi calumniam strueret.) Quis autem Augustino succenseat, quisve illum in solvenda Monachorum questione diminutus dicat, quod inscrutabilia Dei judicia scrutatum non sit, ac non penitus desuperit?

Neque refert si forte dixeris, illud saltem præ nostro habere commodi systema contrarium, quod objectam Monachorum difficultatem penitus evacuet, nihilque inscrutabili Dei judicio reliquat. Non inquam id refert. Quod enim tu commodum vocas, hoc ego incommodum dico: aut certe humanæ intelligentiæ videtur commodum, æternæ tamen veritati incommodum est, ac etiam exitiale: cum ex divina revelatione noverimus, in isto argumenti genere, uti tam multis fidei capitibus, non illud semper esse verum, quod est capto facilius, sed illud plerumque quod difficilius, ac etiam humanæ menti prorsus impervium, virosque etiam doctissimos exclamare cum Apostolo cogit: O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus; & investigabiles viæ ejus! ad Rom. II. In his, ut recte monet Augustinus Serm. 24. de verbis Apostoli, Melior est fidei ignorantia, quam temeraria sententia. . . . Quæris tu rationem, ego expavescam altitudinem. O altitudo! Tu ratiocinare, ego mirer: tu disputa, ego credam. Altitudinem video, ad profundum non pervenio.

III. Responso altera ista est: Augustinum objectæ Monachorum difficultati cumulate satisfecisse: non quidem qua late patet ipsa per sese, sed quantum ad existendos querulorum Monachorum scrupulos, ea in occasione necessi erat. Eam enim difficultatem de Adami perseverantia implicaverant Monachi, ut ostenderent justum non esse modo corripiendum, quod non perseveret in bono, si gratia efficaci, qua supponitur delictus hoc ipso quod non perseverat, illi omnino est ad perseverandum necessaria. Hunc porro scrupulum illis eximit Augustinus, objectamque difficultatem futilem esse demonstrat, vel ex hoc solo, quod statum Adami longe a statu nostro differre convincit; gratiamque illi ad perseverandum necessariam, quantumlibet efficacem, alterius tamen esse conditionis, & fortis a nostra; nec infirmitatis ti-